

Nec refragatur allegata ex defectu tituli, primò, quia in hoc iudicio retinenda non obstat huiusmodi defectus, ut fuit novissimè resolutum coram R. P. D. meo Corduba, in una Parmen prioratus: secundò, quia hoc respicit petitiorum: tertio, quia cum prior secundo loco constitutus priùs resignaverit, primus censetur revocatus, Cassad. 2. de appell. Vant de nullita. ex defectu mandati. n. 171. Possessio Didaci non venit consideranda, cum sit mera turbatio, & iudex nulliter ad eus favorem processerit, & Antonius nunquam se habuit pro spoliato.

Idem etiam fuerat iudicatum in alia decisione Rotali, quæ est in re collectis per Roma P. D. Achil. de Grass. sacra Rotæ auditorem præstantissimum, & decis. 36. sub tit. de appellat. cuius verba sunt: Attentare illum noluerant Domini in una Eluen coram Domino Prospero; qui post inhibitionem à Rota ivit ad consilium Regium, pro mantentione possessionis suæ, quam poterat propria autoritate defendere, quia urbanus egit, per plura quæ ponit Paris. consil. ult. volum. 4.

45 Imò & quod magis est huiusmodi cognitionem per viam violentiæ qua Princeps temporales utuntur extrajudicialiter ad defensionem vi oppressorum, expressè approbatam fuisse per Romanam sedem tempore Martini Pontificis (cujus Bullam inferius referam) testatur Guido Pap. q. Delphi. 1. & q. 85. Sese in epistol. ad Regem, n. 97.

Ex quibus Rotæ decisionibus, quæ elegantissimæ sunt, satis scientia Romanæ sedis ac Dominorum Rotæ apparet, & deducitur, & quia cum Regna Christianissimi Regis Hispaniarum sint amplissima, ut refert eleganter Doctor Didacus à Morla 1. p. alleg. pro Reg. extran. n. 5. & Lancell. Corrad. in templo omnium iudicum 1. part. lib. 1. cap. 2. §. 3. ex n. 14. & Cened. in collecta 51. 1. part. num. 4. Camil. Borrel. consil. 74. vol. 1. num. 37. & Bobadilla lib. 2. cap. 18. num. 212. & idem Cened. in quest. 45. numero 29. & quotidie plures Regnicolæ in Curia Romana causas agentes assistunt, quæ causæ præsertim de partibus vehuntur ad Romanam Curiam, per viam appellationis, in quorum discursus pluries ad suprema tribunalia Regia trahuntur per viam violentiæ, ut iudices Ecclesiastici deferant, & reponant, cum quibus articulis, & decretis Regiis, in eis insertis, dictæ causæ ad Curiam Romanam mittuntur, verisimile quidem est, id non esse ignotum aliis Summis Pontificibus, & quia verisimile præsumitur, imò talem recursum censeantur approbare.

46 Quia cum cognitio violentiæ, & salubris ad Regem recursus non sit damnosus libertati Ecclesiasticæ, sed potius valdè illis utilis, ut in terminis tenet Suarez l. 4. de immunit. Ecclesiar. cap. 44. num. 43. & post hæc Cevall. in tract. de cognitione per viam violentiæ, gloss. 14. sub. n. 4. Carolus de Tapia in compila. jur. reg. Neapol. l. 3. rubr. 4. super cap. 266. incipit præcepti, num. 8. fol. 28. alios citavi infra num. 239. & seqq. Sequitur ut privilegium aliorum utile clericis, præsumatur à Papa approbatum. Hostiens. in cap. fin. de censibus. Abb. in cap. Ecol. sanctæ Martæ, num. 9. de constitutio. Sequitur Mart. de juris. 4. part. cent. 1. cas. 59. n. 4. & 5. maximè ubi ex eo non resultat iurisdicctio secularis, prout in hoc recurso, ut declarat Mart. ibi, pro quo facit text. elegans in l. 1. §. magistrum autem, ibi, Cæterum si scit & passus est eum in nave magisterio fungi, ipse eum imposuisse videtur, ff. de exercitoria actione.

48 Et comprobatur, nam patientia, & tolerantia Romanorum Pontificum, vel cuiusvis alterius Principis qui prohibere, vetare, sive impedire potuit, dispensationem, confirmationem, & actus validitatem inducit, l. quid ergo 13. versiculo, certò, ff. de his qui not. infam. l. cum plures 60. §. locator ff. locati, l. 1. §. magistrum autem, ff. de exercit. actio. l. an in totum, C. de adificiis privat.

1. 1. §. scientia ff. de tributor. actio. Felin. in cap. 1. n. 6. versiculo lex nova, de tregua & pace. Bar. bal. Angel. & alii relati per Surd. consil. 371. n. 58. volum. 3. gl. fin. ubi Abb. n. 8. Barr. in cap. quia circa, de consanguin. & affin. Innoc. in c. veniens, n. 4. de filiis Presbyter. Alexan. in l. fin. ad l. Jul. de vi privat. & in l. fin. ff. de adult. & consil. 1. num. 45. & consil. 107. num. 10. lib. 2. Joan. de Anan. in cap. sicut Judai, 9. n. 12. de Judais, ibidem Feli. num. 1. & 2. c. que in Eccl. n. 7. de constitutio. & in d. c. de tregua & pace, Decius consil. 326. aliàs 327. incipit viso casu præposito n. 3. versiculo 4. & ult. lll. in l. omnes populi, n. 48. ff. de just. & jur. & in l. ubi pactum. n. 17. C. de transact. Guil. de Cun. in l. 1. in princ. ff. de exercit. actione. Nel. in tract. bannitor. 3. p. 2. temp. q. 84. Hippolyt. Bonac. quest. crimin. verb. de bannis, pag. miki 30. Ant. Sola ubi supra n. 142. Hippolyt. de Matril. singul. 77. per totum, Tiber. Decian. consil. 124. n. 20. volum. 3. Aug. Berouius consil. 173. num. 61. volum. 1. Castanete consil. 39. num. 23. & 40. Ant. Sala, in constitutiones antiquas Ducatus Sabaudia, gloss. 4. proemii, n. 40. & 41. Gonzal. in regul. 8. Cancell. gl. 9. §. 2. num. 87. & sequent. Flamin. Paris. alios referens de confident. benef. quest. 40. ex num. 16. & in terminis nostris, quòd hæc sententia, & tolerantia Romanorum Pontificum habeat vim dispensationis, tenent Guillelm. Benedict. in cap. Raynut. in verb. & uxorem nomine Adelasiam, num. 58. & 59. optimè Menoch. in consil. 1000. n. 67. Cened. in Canon. quest. 45. num. 28. ubi receptissimam sententiam dicit.

Nec à proposito nostro dissentit pulchra & celebris Ancharani doctrina, consil. 161. ad fin. dicens; quòd si clericus possideat duas Ecclesias patiente superiore ex huiusmodi patientia dictarum Ecclesiarum unio facta, & ob id etiam remissa pœna præsumitur, ut refert Decian. respons. 4. num. 24. ad fin. volum. 4. Narbon. in tract. de appellat. à Vicario ad consil. Archiepiscopi Toletani. 2. part. fund. 5. n. 6. & supra, & quia Summi Pontificis tolerantia in eo quod à jure naturali non prohibetur, pro expressa dispensatione habetur, ut post Abbatem in c. clericis et 2. num. 4. de vita, & honest. clericos. Loaz. de murim. dubit. 12. n. 32. in fin. & Mascard. de probat. volum. 3. consil. 115. n. 1. tenet Cened. in quest. Canon. 45. sub. n. 30.

Imò in casu nostro scientiam, & patientiam Summorum Pontificum consensu expresso fortiore esse, ex quo ipsi diu tolerarunt, planè est, quia præsumptus consensus ex scientia, & non contradictione eum temporis diuturnitate inductus, consensu expresso fortior reputatur, ut eleganter respondit Craver. consil. 640. n. 10. lib. 4. quem sequitur doctissimus Castanete, consil. 29. n. 40. Narbon. ubi proximè, n. 9.

Et pro hujus consuetudinis immemorialis justificatione, illud erit notandum, quòd ejus initium hominum memoriæ penitus excedit, quod ab eo lumen dum esse necessarium est, à quo meum, & tuum, sibi usurpationes, & violentiæ inter gentes inceptæ fuerunt, ob eorum maliitiam, exorbitantiam, & tyrannidem, ad quam exclusionem, & propulsionem, ac inferiorum defensionem, Regna creata sunt à Deo, juxta ea quæ amplissimè principio hujus capituli dicta sunt, ut de utriusque rei initio, doctè, & exactè videre poteris apud Martam de juris. 1. p. cap. 1. 2. 3. & 4. & sequentibus, quæ consuetudo talis est efficaciar, prærogativæ, excellentiæ, & virtutis, ut in qualibet dispositione Pontificia (qua sublata est consuetudo) non censeatur comprehensa, nec exclusa, etiam quibuscumque verbis generalibus utatur, ut docet glossa recepta in cap. 2. de pres. hoc lib. gloss. verbo prescriptione in authentico ut de cetero commutat. §. de cetero, & ibi Angel. n. 1. collat. 5. Rip. in l. nemo potest, num. 115. ff. de leg. 1. Carol. Ruin. lib. 2. consil. 13. n. fin. Mathaus de Afflict. decis. 253. n. 5. Betran. consil. 98. num. 12. Craver. de antiquit. tempor. 4. part. §. materia ista, n. 4. Boët. dec. 39. n. 12. Ruin. consil. 15. num. 30.

num. 30. lib. 2. Rochus de Curte in cap. fin. de prescript. sect. 7. conclus. 6. num. 10. Tiraq. de retrat. convent. §. 1. gloss. 1. num. 12. Covarr. plures referens lib. 3. variar. resolut. cap. 13. num. 5. Avend. respons. 16. num. 1. Pelaez de Mier. de major. 4. p. q. 20. num. 51. Flores de Men. q. 10. num. 44. Emmanuël Rodrig. quest. regul. 1. num. quest. 9. art. 1. Anton. Gab. lib. 3. commu. opin. tit. de prescription. concl. 1. n. 27. versiculo contrarium, & cum aliis pluribus resolvit Joan. Gutier. pract. quest. lib. 3. q. 77. nem. fin. Tiber. Decian. tom. 2. resp. 44. n. 19. Rol. à Valle consil. 59. n. 17. lib. 34. Ottalor. de nobilit. 3. p. c. 7. n. 11. Chaffan. in consuet. Burg. rub. 9. de mains mortes, §. 2. in verbo, porque el que laps de tems, n. 1. plures tradit Mascart. de probat. conclus. 1372. n. 45. cum seqq. vol. 3. & hanc esse verissimam opinionem testatur And. Fachin. lib. 2. consil. 87. num. 22. cum seqq. Narbon. de appella. ad consilium Archiepiscopi Toletani, 2. p. fundam. 3. n. 9. & 10.

45 Quorum omnium sententia, vel ex eo solum manifeste comprobatur, quòd scriptum est in Sacro sacro Concil. Trident. sess. 22. de reformatione, cap. 8. ad finem, sub illis verbis: Non obstantibus quacumque consuetudine, etiam immemoriali, privilegio, aut statuto. Quo in loco sancta Synod. ad excludendam immemorialem consuetudinem, non solum scripsit, quæcumque consuetudine, quasi his verbis, licet generalibus, non comprehendatur, sed etiam immemorialem expressit, ut videretur exclusa, ita & similiter expendit Azeved. 2. titul. 25. lib. 4. recapitul. n. 10. facit declaratio Cardinalium de Sacrosanct. Concil. Trident. sess. 24. de reformatione, cap. 20. ubi cum sancta Synodus disposuisset, ut causæ omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiam si beneficiales sint, in prima instantia coram ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur, & non coram illis, licet quibuscumque consuetudinibus fuerint muniti, sacra inquam congregatio decrevit d. S. Concil. Tridentin. decretum generalissimis illis verbis immemorialem consuetudinem minimè sustulisse, quam declarationem sapientissimè per Rotam observatam testatur Heronym. Gonz. regul. 8. Canc. ell. gloss. 33. num. 5. Ex qua doctrina sequitur, quòd licet aliqua Pontificali dispositione sublata sit consuetudo, ut iudices seculares ea non possint adquirere jurisdictionem in laicos, imò, & quod plus est, ut ex eadem doctrina colligitur, si expressè tollatur consuetudo recurrendi ad Principes per viam violentiæ, non potest comprehendi hæc immemorialis.

45 Et si quis contendat à Principibus secularibus hanc tollere potestatem ex sententia Covarr. in d. c. 35. n. 3. vers. 5. non serò sed statim comperiet experimento manifestissimo, quantum calamitatis Reipublicæ Christianæ invexerit, & intulerit, & idem asseverat Azeved. in lib. 1. titul. 6. libro 2. in versiculo presertim, pag. 145. Cened. in Cano. quest. 49. num. 35. & alii moderniores rem hanc tractantes; unde quamvis à viris sapientissimis optatum est, ut summa Ecclesiæ potestas, id est, summus Pontifex, audita hac Regum praxi, & ratione determinet opportunum remedium pro communi pace & bona gubernatione, ut inquit Navarr. in num. cap. 27. num. 69. & quos refert Henriq. lib. 1. c. 12. num. 6. in gloss. 11. asserit tamen, quòd nullum hactenus inventum est apertius remedium, quàm, ut praxis hæc immemoriali consuetudine confirmata conservetur.

46 Et hanc consuetudinem Hispaniæ immemorialem cognoscendi inter Ecclesiasticos ad tollendam vim, defensionemque vi oppressorum, ut legitimam, & immemoriali usu receptam, & à Sede Apostolica approbatam, probant, defendunt, & testantur plurimi gravissimi Doctores, Avenda. in capit. prator. 2. part. num. 12. versiculo decimus casus, & in 1. part. cap. 1. n. 32. eam etiam consuetudinem approbat Salced. in praxi ad Ber. Salgado de Protect. Reg.

vard. Diaz. cap. 102. versic. hinc etiam doctissimus Navarr. in manu 1. cap. 27. a n. 69. & 70. Cordub. in summa quest. 35. Azeved. in l. 2. titul. 6. lib. 1. de recopilat. a n. fin. versiculo secus verò. Lancetol. 2. part. cap. 4. n. 36. Joan. Garc. de nobilit. gloss. 12. n. 54. Segur. de Habalos in director. iudicium Ecclesiasticorum, 2. p. cap. 13. n. 52. Olan. litera l. num. 77. & litera C. n. 34. nostras Gasp. R. trig. de annu. reddit. lib. 1. quest. 17. num. 61. & 63. Gutier. l. 1. Cano. quest. cap. 34. num. 25. Michaël Axia. de exhiben. auxil. fundam. 27. Anton. Oliban. in tract. de jur. fisci. 14. num. 15. doctissimus Castell. à Bobadill. in sua Politi. lib. 2. c. 18. n. 138. & cap. 19. num. 31. Vival. in Candelab. aur. in bulla in Cena Domini, casu, 14. Castill. in lib. 49. Tauri, n. 3. Parlador. rer. quoti. differ. 9. n. 24. Veg. in sum. tom. 1. cap. 29. num. 1. in fin. versic. nota, que el Rey, & in cap. 85. casu 141. versiculo nota para esto Mexia ad l. Tolet fundam. 11. part. 2. num. 47. Gratian. regn. 9. n. 25. optimè Sese de inhibito. cap. 8. §. 3. num. 158. & expressè in numero 45. ubi allegat Avend. d. 1. part. cap. 1. à numero 13. cum sequentibus, & Aviles: idem etiam tenet Greg. Lopez in l. 13. titul. 13. part. 2. in gloss. nifuerza, litera E. Humad. latissimè in eadem l. 13. gloss. 4. in verbo nifuerza, Covarr. in practi. q. cap. 31. Morla. in empor. jur. 1. part. titul. 2. quest. 14. num. 5. Cened. in collecta 6. jur. decretum, & latissimè doctissimèque multa in comprobationem huiusmodi consuetudinis congerit in Canon. quasi. 45. à num. 27. cum multis sequentibus, & post hæc Cevall. in epistol. ad Regem, à n. 66. & in quest. 897. commun. contra comm. à n. 222. & iterum in tract. de cognitione per viam violentia gloss. 7. & talem consuetudinem probat Marta de juris. 1. part. c. 1. n. 3. & 4. & novissimè Peguera decis. 9. num. 6. ubi benè illam defendit.

Nec est credendum, Reges Christianissimos; fidei zelotes iustissimos, & sanctissimos Catholicæ Religionis conservatores, Sedi sanctæ Apostolicæ obedientes sanguine proprio Hispaniam à faucibus inimicorum redimentes, si eam consuetudinem injustam, & in Ecclesiæ præjudicium existimassent, nunquam tolerassent, nec peccato, & censuris se involvissent, si iusta ratione moti non fuissent, cum sanctissimi sint, & fuerint, laudabiliterque vixerint, Præsumendum igitur est, eos tali consuetudine utentes, suisque relicta posteris, non caruisse fundamento, cui favet quòd dicit Bobadill. in Politi. lib. 2. cap. 18. numero 139. & doctissimus Sese de inhibito. cap. 8. §. 4. num. 6. scilicet, die 8. Junii 1568. coram Domino Joanne de la Naza, in iustitia Aragonum fuisse congregatos in Camera sui consilii tringinta, & septem advocatos de gravioribus Regni, qui consulti fuerant super his recuribus, & formis, ne pendente appellatione violenter attentetur à iudice Ecclesiastico, & quasi omnes dixisse firmat, pendente appellatione, absque scrupulo provideri debere.

Et quòd magis rem hanc, & euntorum conscientias securas reddit, illud præcipuè, quòd huiusmodi cognitio extrajudicialis per viam violentiæ non est nova horum Hispaniæ Regnorum introductio, quoniam in omnibus, ditionibus, Regnis, & Provinciis, & nationibus, Catholicæ Christianæ Religionis, eadem cognitio extrajudicialis, nudaque inter Ecclesiasticas personas ab oppressoribus defensio observaretur, ut testatur Covarr. in pract. quest. c. 35. doctissimus Sese tract. de inhibito. cap. 8. §. 4. num. 6. iterum §. 2. num. 5. & Bobadill. lib. 2. cap. 19. n. 139. & multo post hæc Cevall. in epistol. ad Regem, n. 96. & iterum in commun. contra comm. n. 897. n. 252. & ulterius in tract. de cogni. per viam violent. l. 4. n. 7. prout servari in regno Portugalliæ testatur Navarr. in c. cum contingat. de rescript. rem. 1. idem in regno Borgenis affirmat Boët. decis. 69. n. 23. hoc idem remedium in Senatu Neapolitano docet Afflict. decis. 2161. & decis. 24. Thomas Gramati. decis. 78. n. 2. Menoch. 162.

de recup. possorem 15. n. 120. & Chaquer. dec. Pedemont. 30. & Rebuff. in commenta. Regal. const. Fran. tit. de poss. benefici. gl. 2. n. 8. Guill. Benedic. in cap. Raynut. 1. p. verb. & uxorem nomine Adelasiam, n. 39. de testam. Navarr. d. rem. 1. cas. 16. Carol. de Grassal. Regal. Fran. lib. 9. jur. 7. 163 & in regno Francie testantur. Rebuff. ibid. Olivan. tract. de jur. fisci c. 3. n. 36. Michaël Axia de exiben. 164 auxil. fundam. 24. Navarr. & Carol. de Grassal. ubi proximè, & in regno Aragonum testantur Sese c. 8. §. 2. n. 5. & 36. Bobadill. in Polit. lib. 2. cap. 18. à n. 319. & cap. 19. n. 31. cum sequent. Portoles in scholiis ad Molinum §. appellatio, n. 31. Cæned. in pract. Cano. quest. 45. 165 num. 49. similem consuetudinem habere Navarr. ex l. Regia confirmatam firmat Olanus Sabaudia, n. 77. & littera C. n. 33. idem in regno Sabaudia, ut tradit 166 Anton. de Herrer. in informatione juris, quam fecit pro omite Stabillio cap. 36. in fin. & idem praticari in 167 regno Catalaunia, testatur Olivan. de jur. fisci, c. 1. n. 36. Fontanel. de pact. nuptial. gl. 3. part. 3. concl. 4. à 168 num. 8. & num. 17. de Senatu Sebastiani testatur Antonius Faber. in suo Cod. l. 7. tit. 24. de appellatio. quem 169 ad id refert Fontanel loco citato 3. part. gloss. 13. claus. 4. num. 20. in fin. & in Senatu Pedemontano Menoch. de 170 recuperan. rem 15. n. 120. Pedemont. decis. 30. in Senatu Milaenensi Rebuff. in comment. Regum Fran. 3. tom. tit. de poss. benefici. gloss. 2. num. 8. Guill. Benedic. in d. cap. Raynut. 1. part. verb. & uxorem, n. 39. de testam. Gaspar. Rodrig. de annu. redit. lib. 1. qu. 17. n. 71. & 171 idem fervari in regno Gallecie tam in violentiis commissis inter Ecclesiasticas personas super rebus tam Ecclesiasticis, ac spiritualibus, quam in temporalibus possessoriis, & in violentiis factis à iudicibus Ecclesiasticis ob non delatam appellationem, & ea pendente violentè attentantibus testatur nostras Gaspar. Rodrig. ubi proximè, & ego etiam testor, post Joannem Garciam ibi, de quo nos testamur, ut pariter cognoscatur, in hoc supremo Senatu Galleco dari recursus ad propulandas per viam violentiæ illationes, ab Ecclesiasticis; & Religiosis, non solum in rebus profanis, sed & spiritualibus, quam cognitionem autoordinario pragmatici vocant, de cuius natura, & qualitate, processu, & executione, latè Rodrig. ibi. Et cum 16. Octobr. anno 1606. illustrissimus, & religiosissimus, & non satis laudatus Princeps Maximilianus de Austria tria Archiepiscopus Compostellanus, in Consilio Regali voluit alterari, cupiens alterari, & avelli prædictum autoordinaria, latissimè contra illud insurgens, per suos advocatos pro cuius decreti ordinarii de protectione à Senatu Galleco rogati fuere doctissimi, acutissimi, & expertissimi duo advocati, alter charissimus Genitor meus, virtute, gravitate, & nobilitate præclarus, cuius effigies omnium venerabilis est, licentiatu Gaspar Lopez Salgado de Somoza, clarum speculum, & utile consilium; alter doctor doctissimus Camero del Villar, ingenii fecundia, & claritate præditus, cuius scientia, continuus, & studiosus labor cunctis notissimus est, qui quidem in decreti ordinarii praxi, & styli justificatione, eruditissimè (ut assolent) licet temporis brevitate, arctati, manu imponere; postmodum autem crescente controversia, illud ampliare fuit necesse, ut integraliter, à Consilio Regio cognosceretur, quem laborem Senatus Gallecus meritò commendavit doctissimo viro licentiatu Alvaro de Paz, & Quimonez, ejusdem tribunalis meritissimo Senatori, quia postmodum ad Regalem Cancellariam audite inconvulavit, de cuius literis, prudentia, & virtute ampliora confidi poterant (cui & ego labori etiam adstiti) is igitur, amplissimam informationem iuribus, fortissimisque rationibus fundatam, & auctoritatibus ornata confecit, quæ typis tradita, præ manibus habetur.

176 Hanc etiam consuetudinem cognoscendi Principes

supremos per modum defensionis extrajudicialis, ad tollendas violentias inter Ecclesiasticos approbavit Martin. Pontifex, cuius Bullam ad litteram refert Guido Pape in quest. Delphina quest. 1. & questio. 85. & Sese in epistola ad Regem, numero 77. quæ est in 2. tom. decis. in princ. qua declaravit, quod nulla Pontificis censura generaliter promulgata intelligatur, velle derogare juri competenti Regiæ majestati, tam de 176 jure, quam de consuetudine, cum non censeatur ad æmulationem jurisdictionis Ecclesiasticæ, de qua nos 177 ad responsonem Bullæ in Cæna Domini num. 291. ubi ad litteram refertur.

Maximè cum hæc consuetudo fundata sit in jure naturali, divino, positivo, Canonico, & civili, ne pax publica turberetur, & Respublica detrimentum patiatur, à Sede Pontificali tacitè, & expressè approbata & confirmata, com tam longo usu, cuius initium memoriam hominum excedit, ut testatur d. l. Regia 36. cuius assertioni standum esse omnino probavi superius, post principium hujus cap. de qua etiam testantur tot tantique Doctores fide digni, & doctissimi viri, quorum assertionibus, & attestationibus consuetudinem stare credendum est, tradit doctissimus, & studiosissimus Solis, vir quondam hujus Gallecie tribunalis auditor, in 179 tract. de cens. 3. p. cap. 3. num. 9. Nevizan. conf. 66. n. 31. Ceval. in contra commun. lib. 1. qu. 1. & iterum. p. 897. & num. 253. & amplius de cognitione per viam violentiæ, gloss. 4. sub. n. 9. & repetit in introductione 38. Cavalli in tract. de evictio. §. 5. n. 39. Tobias Nonius conf. 45. n. 11. & conf. 48. n. 12. Moheda. decis. 206. alias 27. Hon. dedeus conf. 110. n. 19. vol. 1. quod maximè procedit, cum nullus Doctor de contraria consuetudine disponat, Gozadin. consil. 59. Aymon. Cravet. consil. 166. & dicit communem Curtius Jgn. consil. 60. Roland à Valle consil. 71.

Sed quorsum tendimus, cum tam longa, ac profunda nostræ consuetudinis justificatione, cum serè omnes doctrinæ à principio præsertim adductæ loquantur in rigorosis, & fortioribus terminis, scilicet; quando tractatur de acquirenda, & præscribenda jurisdictione, contra clericos, per Principem temporalem, in aliquo casu particulari; quod quantum à nostrâ consuetudine; atque intentione sit alienum, & absonum (cum hic recursus ad Regem, nec habeat, nec etiam indigeat aliqua jurisdictione, sed de facto, & extrajudicialiter cognoscatur) dilucidè summo labore, ac curiositate, amplissimè videbis infra præludio 5.

PRÆLUDIUM IV.

SUMMARIUM.

- 181 Vim facere iudicem Ecclesiasticum non deferentem appellationi legitime, & ea non obstante procedente ad executionem, concursus omnium sententia est, in hoc tamen nova Autoris consideratio, ibid.
- 182 Plures sunt in jure species violentiæ, eisque variæ defensionis species applicatæ. Ad quatuor tamen reducit Author, ut in exemplis ibid.
- 183 Differentia inter species violentiæ juris communis, & speciem hanc cognitionis per viam violentiæ traditur.
- 184 Definitio descriptio hujus specie violentiæ constituitur ab Authore.
- 185 Lex lege Julia 7. ff. ad leg. Jul. de vi pub. declaratur in coprobationem violentiæ illatæ à iudice in non deferendo legitime appellationi, declarat & exornat. Auth.
- 186 L. 4. tit. 10. p. 86. in eundem sensum trahit Author.
- 187 Leges debent intelligi secundum rubricam sub qua situate sint.
- 188 Paria sunt occidere innocentem, & occidere eum, qui confugit ad justam defensionem.

Doctores

- 189 Doctores mentionem facientes d. l. leg. Julia, referuntur.
- 190 Cevallos reprehendit Author affirmantem d. l. lege Julia à nemine ponderatam.
- 191 Ut habeat locum cognitio hæc violentiæ, an requiratur, ut simul adsint & appellationis denegatio, & ea non obstante attentatū seu executio, traditur remissivè.
- 192 Hæc species iudicis violentiæ omnibus aliis violentiis major, & atrocior est.

181 **C**ONSTITO, Principibus supremis temporalibus competere facultatem tollendi quilibet violentias suæ ditionis, & Republicæ, etiam inter Ecclesiasticas personas, tanquam eives, & membra ipsius, quia sub Regia protectione esse dignoscitur, & licet Doctores omnes de hujusmodi cognitionis per viam violentiæ justificatione tractantes, affirmant, vim facere iudicem non deferendo appellationi legitime & ejus occasione, procurantem ad executionem procedere, jurisdictione suspensa, in quo omnium concursus est sententia, quos citavimus supra, n. 6. & alii plures in discursu; tamen specialiter nihil conferunt, ut individud probetur, hoc casu vim adesse ob appellationis denegatam delationem: pro cuius declaratione cum materia, & articulo, de quo loquimur, omnino sit necessarium, plura à nemine hactenus de re hac tractante considerata & ponderata, noviter in medium proferam.

- 182 Et in primis; cum respectu rerum, in jure plures species violentiæ reperiantur, quibus variæ defensionis species applicantur, ad quatuor tamen reduci posse dicit gloss. celebris in l. exstat, gloss. fin. ff. quod metus causa gl. 2. in cap. ad audientiam, quod metus causa, & post Alciar. & alios tenet, & sequitur Plot. Navar. in repet. leg. si quando, n. 63. cum multis sequentibus, Cod. unde vi, prima dicitur vis expulsiua, secunda vis ablative, tertia dicitur vis inquisitiva, de quibus latè Menoch. in remediis possessivis.
- 183 Nostra autem, de qua loquimur violentia, longè ab illis differens est & diversa species, siquidem illis actio, & interdita judicialiter exercenda designata sunt, huic nuda defensio, nuda potestas, vis propulsiua, & Protectiva, extrajudicialiter à Principe interponenda, illæ à privatis committuntur, ista à iudicibus tantum, illæ extra iudicium in bonis, hæc in processibus, & in 184 iudicio inter cognoscendum jurisdictionis prætextu, quæ ita describi valet ut sit damnosa quædam, injuriosa & violenta oppressio, naturalis defensionis impeditiva, per iudicem illata.

Et in primis, quod iudex non deferendo appellationi legitime, & jure deferendæ, & jas occasione tentans suspensam sententiam exequi, committat vim; est mirabilis, & famosus textus in l. lege Julia 7. ff. ad l. Juli, 185 de vi publica, ibi, Lege Julia de vi publica tenetur, quicumque imperium potestatem haberet, civem Romanum adversus provocationem necaverit, verberaverit, jussertive aliquid fieri. Et illud verbum civem Romanum, intelligi idem in quocumque homine libero, juxta §. 1. de nupt. Rebuff. proximè citandus, & gloss. ibi, verbo provocationem, exponit, id est, qui appellaverat, 186 Reus ab ejus injuria, est etiam text. optimus in l. 4. tit. 10. part. 7. cuius elegantissima verba sunt: Si enense por agraviados à las vagadas los homes de los juicios de los judgadores è piden alcada para delante del Rey: è tales juezes a que con grand soberbia, è malicia que ay en ellos, è por ser mui desentendidos, que les no quieren dar alcada, è antes los desonrran diciendo es mal; è prendiendoles, è por ende decimos, que qualquier judgador que sobre tal raçon come esta firiese, è prendiessè, è matasse, è deshonrrasse algun ome, que debe haver por ende orra tal pena, como si ficiese fuerça con armas, por que muy fuertes armas Salgado de protect. Reg.

han para fazer mal aquellos que tienen voz del Rey, quando quisieren usar mal del lugar que tienen, ecce mirabilia non admittentia cavillationem, & jura expressè probantia iudices vim facere, non deferentes legitimis appellationibus, sententias exequi curantes.

Quæ jura nihilominus quod expressè id probant, 187 clariùs comprobatur, quia cum sint sub titulis de violentiis, tractantibus, prout dicta l. Julia sub rubr. de vi publica, & d. l. partia sub tit. de las fuerças, secundum quas rubricas declarantur, quia leges debent intelligi secundum rubricam sub qua situate sunt Joan. Andr. Immol. Anton. de Butr. & Panormit. citati & sequuti ab Everard. in locis legalibus, in loco à rubro, ad nigrum 45. ff. 333. vel si autem oratio, quibus iuribus mirabiliter comprobatur d. l. 36. tit. 5. lib. 2. recopil. ibi: Alçar las fuerças que los juezes Ecclesiasticos, y otras personas hazen en las causas de que cognoscen, ne orogando las appellaciones, que dellos legitimamente son interpretas, & ex determinatione d. l. Julia, dicit Bald. in l. addictos, C. de Episcop. aud. quod paria sint occidere innocentem, 188 & occidere qui confugit ad justam defensionem.

Et ulterius quod iudex vim faciat non deferens appellationi legitime per eandem legem, l. Julia, tenent quamplurimi Doctores, Bart. in d. l. Jul. optimè & mirabiliter Guid. Papæ in tract. de appellat. q. 600. n. 89. & per eandem legem, idem tenet Rebuff. in tractatu de sentent. exequit. in præfatione, n. 2. in comment. 10. 2. fol. mibi 307. Mansuer. in prax. judic. in tit. de appell. col. 16. vers. judez qui non permitit. fol. 123. & sentit. Lancelot. Corrad. de prator. §. 2. de off. prator. in caus. civil. tit. de appell. n. 6. & tradit per Joannem Fabrum in l. à proconsul. C. de appell. & Doctores in l. fin. de variis, & extra ordin. cognitio. & Aretin. & Fabr. in prin. inst. de oblig. que ex quasi delicto, ut Nicol. Boër. decis. 153. judez pact. n. 4. & per eandem legem idem dicit Lancelot. Robert. de attent. 3. p. cap. 31. à nu. 242. cum sequentibus, ubi etiam allegat. Guid. Pap. in d. tractatu de appell. qu. 2. & quest. 120. col. 4. vers. quæro an appellatione interposita. Efcacia de appell. q. 13. artic. 13. sub nu. 100. Prosper. Farin. in question. crim. l. 3. qu. 101. ampliat. 3. n. 5. Clarius de Seyfello in repetition. l. ut vim num. 36. de justit. & jur. ibi, quia iudex malè procedendo etiam facit vim, ut loquitur de exequente, appellatione legitima, & post hæc eadem lege citata idem dicit Sese tract. de inhibition. cap. 8. §. 3. nu. 9. quia in nostris terminis eam ponderat, & allegat, qui omnes ad hoc citant dictam legem l. Julia, quod Lancel. ubi proximè post Guid. Pap. quest. 93. idem intelligit, etiam si appellatio ab amico interposita fuisset; & licet multo post hæc scripta viderim Ceval. in tractatu de cognitio. per viam violentiæ gl. 6. sub nu. 9. allegantem d. l. l. Jul. nullis citatis auctoritatibus, in epistola ad regem, nec 190 in qu. 896. qua epistolam transcripsit, ubi dicit dictam legem à nemine hactenus esse ponderatam, in quo, ut vides, deceptus est, cum tot Doctorum catervam retulimus illius legis intuitu affirmantium, vim committere iudicem non deferentem legitime appellationi, curantemque sententiam suam exequi, ut ex eis patet.

An autem in hoc violentiarum recursu, & cognitio- 191 ne, ad hoc ut declaretur vim fieri, utrumque simul requiratur, scilicet, appellationi denegata delatio, & sententiæ attentata executio simul, infra hac 1. p. cap. 6. commodiùs tractandum est.

Igitur si iudex hoc casu infert vim, poterit legitime oppressus ad Regem confugere, ut vis illa propulsetur, & vim passus protegatur, & defendatur; ceteris enim violentiis, hæc quæ à iudice fit, major est, 192 & atrocior, cum sub secuto, & superioritatis, ac jurisdictionis prætextu, facillimè delibari potest, ad hujusmodi vim inferendam, quod quidem tendunt; & ponderari debent illa verba d. l. 4. tit. 10. p. 7. ibid. Que debe

C 3 hauer